

eam, non obstantibus huiusmodi constitutionibus, auctoritate apostolica duximus confirmandam. Quocirca discretioni tue mandamus, quatenus dictam reginam non permittas super premissis contra huiusmodi confirmationis nostre tenorem ab aliquibus indebite molestari, molestatores huiusmodi etc.

Raynaldi ad a. 1264. — Fejér, Codex Dipl. Regni Hungariae. T. IV. vol. III. p. 236. — Theiner, Monumenta Historica Hungariae. Romae 1859. I. p. 272.

LX.

Anno 1264. Nonas Octobris.

Bela IV. Rex fratribus Kreč, Kupiša et Rak, ex comitatu sirmiensi oriundis, ob singularia, quibus occasione invasionis Tartarorum se illustravere, merita, nobilitatem et possessiones quasdam donat.

Bela Dei gratia Hungariae, Dalmatiae, Croatiae, Sclavoniae, Ramae, Serviae, Gallitiae, Lodomeriae, Bulgariaeque Rex. Omnibus Christi fidelibus praesens scriptum intuentibus salutem in eo, a quo Triumphus largiuntur gloriosi; qui in se credentibus, totius orbis Regibus, Marchionibusque & potestatibus praebuit feliciter regnare & dominari. Regiae excelsae sublimitati ex innata sibi liberalitate convenit, omnium nationum pariter et lingvarum gentes, sibi semper subjective adhaerentes, de eorum multitudine gratulari, & eosdem taliter providere, ut universi amplius viventes & supervenientes, eorum felici exemplo immitando, ad summae fidelitatis opera exercenda, arctius, frequentiusque immitentur, & eosdem audatius animent ad similia exhibenda, illis quoque pro suis honoribus commodisque et prosperis profectibus fama celebris frequentioribus detestatur studiis desudasse, digno meritoque dexteram suae munificentiae affluentius elargiri, & ea, quae ex voto sinceræ benignitatis favorabiliter conceduntur & donantur, jus appetit, ordo expostulat, ratioque justa exquirat, ut suarum lucidarum literarum seriem debeant exordiri, ne lapsu temporis calamitate exurgente, exhinc incommoda irriterentur, oculis gratiosis intueri, & ad memoriam posterarum extremitatum perpetuam, literarum patrocinio debeant commendari. Proinde ad universorum tam praesentium, quam futurorum notitiam harum serie volumus pervenire: quod cum humani generis sordidis sceleribus praevalentibus, multitudo inaestimabilis, rabidae gentis Tartaricae, ex affluenti indignatione trium machinarum Domini Plasmatoris nostri, per climata totius Regni nostri perfusa, sevrerime ulciscendo fuisset, & nos una cum fidis Primatibus et egregiis Nobilibus nostris extra Monarchiam nostram, usque ad littora pontus acerrime persequendo, in quandam maximam Insulam Veglae contiguam repellendo, de qua etiam vi extrahere satagendo, per varia naufragia & derivativa